DISPUTATIO SOLENNIS

De

SINGULTU:

In inclyta Argentoratensium Universitate proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE, COMITE PALATINO
Cæsareo, & Reipubl.
Archiatro:

RESPONDENTE

MARCO MAPPO Argentoratensi.

d. 2j. Mens. Jul.



ARGENTORATI,
Typis FRIDERICI SPOOR.
ANNO M. DC. LIX.

GRATIOSO

LIBERALIS LEGATI SCHENCKBECHERIANI DIRIBITORUM,

Virorum, Nobilitate, Amplitudine, Reverenda Dignitate, Prudentia, Experientia, & Consilio Clarißimorum

COLLEGIO,

DN. DANIELI WENCKERO, Reipub. Argentor. Quindecim-Viro gravissimo, Stipendii Schenckbecheriani Ephoro dignissimo.

DN. NICOLAO JUNTÆ, Reipubl. hujus Archigrammateo meritissimo. } Geminis h.t. dicti Stipendii Directoribus.

DN. BALTHASARI FRIDERICO SALZMANNO, S.S. Theolog. Licentiato. summi Argentor. Templi Pastori vigilantissimo. } Geminis h.t. dicti Stipendii Directoribus.

DN. MELCHIORI SEBIZIO, Doctori & Professori Medicinæ ordinario, Comiti Palatino Cæsareo, Capituli Thomani Præposito, Reipubl. hujus Archiatro, & h.t. Facultatis Medicæ Decano:

DN. MELCHIORI GREINERO, Utriusque Juris Doctori & Practico consultissimo.

DN. FRIDERICO à GOTTESHEIM, Quæsturæ ad D. Matthæi & Nicolai in Undis Curatori fidelissimo:

DN. JOHANNI CASPARO BERNEGGERO, Reipubl. à Secretis & Regestorum cura Viro solertissimo:

DN. JOHANNI JOACHIMO FRANZ Colleg. Quindecimviralis Secretario laudatissimo:


Dominis Mecœnatibus

Me, meaq; studia commendaturus:
Disputationem hanc Solennem
humili observantia
consecro

MARCUS MAPPUS Arg.



Thesis I.



Ingultus πάθος *est frequentissimum: & est in quibusdam affectibus signum malum: imò interdum mortis prodromus: verbi gratia, in peste, febribus malignis, dysenteria, viscerum inflammatione, colica passione, aliis. Accidit autem non solùm ægris, sed etiã sanis corporibus, quorum tamen singultus magni momenti non est, quia vel sponte evanescit, vel facilè sedatur.*

II. *Dignus proinde morbosus est singultus, cujus* nomenclaturæ, significata, definitio, pars affecta, differentiæ, causæ, signa diagnostica & prognostica, *deniq; etiam* curatio *cognoscantur.*

III. *NOMENCLATURAS quod attinet, vocatur affectus iste à Græcis* λύγξ, λυγμὸς, *&, quemadmodum* Galenus *notat* comm. 4. in libr. Hipp. de morb. acut. §. 69. λύγγος: *nimirùm à verbo* λύζω, *quod est singultio.* Nomina.

IV. *A latinis appellatur singultus. A Germanis* der Klux. *Alii dicunt* der Nosch / das Hixen / der Hetsch. *Communis cum hominibus est equis, qui ipsi quoq; singultiunt, & ut homines etiam tussiunt.*

V. *Observandum autem, singultum tres habere significationes: unam propriam, duas improprias.* Significationes.

VI. Propria *est, qua de impræsentiarum nobis sermo erit.* Impropria *prior est illa, quæ apud nobilem illum rei rusticæ scriptorem,* Columellam, lib. 8. c. 5. *legitur, tribuiturq; gallinis, cùm ova pariturae sunt. Nam ante partum*

crebros edere singultus solent: quod nostri populares das Gaxen *nuncupant: Græci* καккαβίζειν & κακκάζειν *dicunt.*

VII. Impropria posterior *est, quæ apud eundem* Columellam *extat. Notat autem singultus illam gallinæ vocem, quæ glocitatio nuncupatur, & qua pullos vel ad se, vel ad pabulum illectat. Nostrates* gluckern wie eine Hänne *nominant. Vnde & Gallinæ glocientes* Gluckhännen *dicuntur.*

VIII. *Præter has duas improprias singultus significationes reperitur & tertia apud* Horatium, *qua suspirium,* das Seufftzen / *sonat:* l. 3. Carm. od. 27. *Sic enim ille ad* Galateam *navigaturam:*

Vxor invicti Jovis esse nescis?
Mitte singultus: benè ferre magnam.
Disce fortunam: tua sectus orbis
Nomina ducet.

IX. *Quidam illum puerorum adhùc flentium, aut flere desinentium motum, quem vulgò* das Auffstossen / oder das Pfüffzen *vocant, pro singultu habent, ut* Gordonius *in Lilio Med. part. 5. c. 7. Sed errant: quoniam motus iste & singultus ratione causæ, & subjecti, unde ambo prodeunt, inter se differunt. Singultus enim juxta* Hippocratem aphor. 39. sect. 6. *causas in genere habet duas,* πλήρωσιν ϗ κένωσιν, *repletionem & inanitionem: ejusq; subjectum est ventriculus: iste verò puerulorum motus in & post fletum in ventriculo suam sedem non habet: sed in partibus respirationi dicatis, in quibus, & præcipuè in pulmonibus, spiritus retinetur. Nam præ ira & lacrymis liberè non respirant. Spiritus igitur, si cohibeatur, acervatim erumpere nititur, & motum illum nominatum efficit: qui tamen verus singultus non est: quemadmodum nec illa respiratio, quæ ab* Hippocrate aphor. 68. sect. 4. πνεῦμα προσκόπτον, *spiritus offendens nuncupatur, hoc est, sicut* Galenus in comment. *illum interpretatur, respi-*

ratio

ratio subsistens, & in sui medio interrupta: qualis in plorabundis infantibus observatur.

X. *DEFINITUR autem singultus ab omnibus authoribus, Græcis, Arabibus, & Latinis, motus, quo ventriculus conatur expellere ea, quæ suis impacta sunt tunicis. De quo tamen posteriori membro quid sentiendum sit, th. 25. explicabitur.* Definitio.

XI. *Hinc apparet, singultum symptoma esse, & quidem præcipuè facultatis ventriculi expultricis: quod in nostra potestate & arbitrio situm non est. Non enim singultire possumus, cùm volumus: nec singultum sedare, quando nobis placuerit.*

XII. *Verùm quæri solet, qualisnam sit motus? Respondet* Galenus lib. 2. de caus. sympt. c. 1. *motum esse* πλημμελῆ, *illegitimum & vitiosum: & quidem ex illo ejus genere, qui opus Naturæ appellatur, sed à quadam morbosa causa ad movendum coactæ.*

XIII. *Nam* Galenus *loco citato tria vitiosorum motuum genera proponit.* Primum *jam est indicatum, & est eorum motuum, qui opera quidem Naturæ sunt, sed ab aliqua morbosa causa irritatæ: ut sternutatio, tussis, oscitatio, pandiculatio & singultus. Intelligit autem* Galenus *per Naturam, quemadmodum seipsum interpretatur,* πᾶσαν δύναμιν τὴν διοικοῦσαν τὸ ζῶον, *omnem facultatem, quæ animal gubernat, sive à voluntatis nostræ pendeat arbitrio, sive non. Totum quippe animalium, vitalium & naturalium facultatum genus, quo animal regitur & conservatur, à causis præter naturã, quæ animal lædunt atq; corrumpunt, distinguitur: quoniam illæ animal conservant sanum: hæ verò idipsum destruunt & labefactant.*

XIV. Secundum genus *illorum est motuum, qui morbosos sequuntur affectus, Naturâ ad ipsorum generationem nihil conferente: ut palpitatio & convulsio.*

 XV. Ter-

XV. Tertium illorum, quibus morbus & Natura simul operantur: ut motus ναρκώδεις, torpidi, & alii, in quibus Natura quidem agit, cùm motum excitat, verùm morbus efficit, ut sit torpidus. Hujus generis est παράλυσις, quæ nondum est perfecta & consummata: quoniam in ea Natura membra movet, sed debiliter, idq; propter morbum hanc ipsam impedientem. Tremor quoq; hoc in symptomatum genere continetur. Facultas enim in eo membrum attollit, sed morbus ad inferiora deprimit.

XVI. Hîc autem non immeritò quæritur, cùm Galenus loco citato singultum vitiosis & illegitimis motibus, & consequenter etiam symptomatibus, annumeret, cur dicat, illum opus Naturæ esse? Respondetur dupliciter. I. quia ventriculus duos tantùm motus naturales habet, sui nimirùm dilatationem & constrictionem circa assumptum alimentum. Licet autem idem etiam in singultu dilatetur primùm, posteà constringatur, vt excutiatur, quod est inimicũ, tamẽ dilatatio ista atq; constrictio est molesta, & quodammodò violenta. Quæ verò fit circa alimentum, blanda est, & proptereà grata atq; jucunda. II. quia tametsi singultus dici possit motus legitimus ratione facultatis expultricis, tanquam causæ efficientis, quæ est naturalissima, ea tamen ratione vitiosus & illegitimus à Galeno statuitur, quoniam proficiscitur à re ventriculo adversa, quæ illum ad singultum irritat & stimulat.

XVII. Quæritur secundò, an singultus pro genere possit habere σπασμὸν, convulsionem? Affirmantem tueri videtur Hippocrates aphor. 39. sect. 6. ubi scriptum reliquit, singultum causas habere cum convulsione communes. Sed Galenus l. 3. de sympt. caus. c. 2. & comm. 6. aphor. 39. docet, singultum quasi quendam motum convulsorium vocari posse, propriè tamen & accuratè loquendo convulsionem non esse: eò quòd convulsio solis insit musculis; ventriculus autem, & orificium ejus, quod στόμαχον, alibi ex veterũ sententia etiã καρ-

δίαν

σιαν appellat, *in musculorum albo minimè contineantur.* Cui rationi & ista addi potest, *quoniam in omni singultu expultrix virtus conatur extrudere id, quod est noxium, h. e. quod vel gravat, vel premit, vel qualitate aliqua, manifesta, aut occulta, ventriculum ad excernendum lacessit.*

XVIII. *Nam quando ventriculus sentit aliquid sibi inesse, quod detrimentosum est, primùm se dilatat: deinde sese constringit, suaq; facultate expultrice ejicere illud studet, quod detrimentosum sibi Naturæ instinctu percipit. In spasmo autem nulla fit dilatatio, nulla etiam Expulsio. Itaq;* Galenus comm. 6. aphor. 39. *concedit quidem, ut singultus* σπασμὸς *vocetur. Melius autem esse dicit, non vocare* σπασμὸν, *sed quendam motum ejus generis, cujus est vomitus: intensiorem tamen & vehementiorem.*

XIX. Quæritur tertiò, *an & expultricis, & retentricis facultatis symptomata in singultu concurrant? Respondetur, concurrere symptoma expultricis primariò; retentricis secundariò.* Galenus enim l. 3. de sympt. caus. c. 2. *hanc adfert rationem, quoniam in singultu neutra facultas probè & ordinario modo suo munere fungitur. Non expultrix, quia singultus, vt modò dictum, motus quidam est vitiosus, vtpote convulsorius, dùm ventriculus audet propulsare quod est alienum. Non retentrix, quoniam ventriculus, quando singultit,* μοχθηρῶς, καὶ οὐ κατὰ φύσιν *cibos complectitur.*

XX. Quæritur quartò, *quomodo vomitus & singultus inter se conveniant, & quomodo differant? Respondetur, convenire primùm, quia vterq; est motus quidam Ventriculi. Deinde, quia vterq; fit à facultate ventriculi expultrice. Tertiò, quia in vtroq; ventriculus primùm se dilatat atq; extendit, posteà verò sese validè constringit & coarctat, vt* τὸ ἀλλότριον *excutiat. Differre autem juxta* Galenum lib. 3. de sympt. caus. c. 2. *quoniam per vomitum ea rejiciuntur, quæ in ventriculi cavitate sita sunt:*

in

in singultu verò, quæ tunicis, seu fibris ventriculi penitiùs & altiùs sunt impacta. Deinde, quia secundum eundem Galenum comm. 6. aphor. 39. *in singultu motus est fortior, intensior, & vehementior: in vomitu autem remissior. Rationem statim subjungit: quoniam in vomitu, uti modò dictum, excernuntur ea, quæ in ventriculi capacitate existunt: in singultu verò illa, quæ firmiùs sunt* τῷ στομάχῳ *infixa. Faciliùs autem priora quàm hæc ejiciuntur: quoniam illa sunt soluta, & libera, hæc verò validè impressa. Inaudire se autem monet per* τὸν στόμαχον *non solùm eum, qui* κυρίως στόμαχος, *h. e. ventriculus, ciborum receptaculum, & concoctionis primæ,* χυλώσεως *scil.* ἐργαστήριον *appellatur, sed etiam illius orificium, quod animalis appetentiæ sedes est, &* καρδία *à priscis Medicinæ proceribus fuit cognominatum.*

XXI. Avicenna lib. 3. can. fen. 13. tract. 5. c. 19. *posterius discrimen non admittit, sed vult, singultum motum esse vomitu leviorem & debiliorem; eò quòd singultus multoties præcedat, & vomitus sequatur. Addit insuper, non in omni vomitu ejici illa, quæ sunt in cavitatem ventriculi effusa, sed quandoq; etiam quæ substantiæ ejus sunt impressa. Item, quia videmus, in singultu nihil expelli: expelli autem in vomitu. At in quo nihil expellitur, non necessariò fortiùs est eo, in quo semper expellitur aliquid. Deniq; quia singultus excitari potest à levi causa, v. g. à grano piperis pulverisati. Si quis enim, inquit* Galenus comm. 6. aphor. 39. *illud deglutierit, vel per se solùm, vel cum alio aliquo liquore, atq; posteà vinum aqua calida temperatum biberit, statim singultiet: calore quidem potus piper ad interiora vehente, ejus verò acrimonia ventriculum molestante. Ex quo evenit, ut ventriculus singultu, motu scil. violentiore, rem infestantem profligare conetur.*

XXII. *Nos persuasum habemus, quòd ad hujus quæstionis decisionem distinctione opus sit, & comparatio in ima specie*

specie instituenda. Etenim si causa singultus sit copiosa, vel etiam maligna satis, & membranis ventriculi firmiùs inhæreat, adeò ut ventriculum irritet & stimulet: vomitus autē & causa levior sit & parca, tunc singultus vehementior motus est vomitione. At si fiat contrarium, rationi consonum est, vomitum vehementia superare singultum.

XXIII. *Singultus prætereà sanorum mitior & remissior est, quàm ægrotantium. Quanto enim cum labore ac conatu vomitio fiat in cholera morbo, in nephritide, in peste, & in colica atq; iliaca passione, satis superq; illi experiuntur, qui hisce affectibus infestantur.*

XXIV. *Vidimus tamen etiam ægros quosdam, qui multis diebus horrendum in modum singultiebant: adeò ut neq; placidum capere somnum, neq; quicquam cibi aut assumere, aut assumptum retinere potuerint: ita defatigati & viribus exhausti, ut fatis tandem concesserint. Distinguenda igitur hîc est causæ quantitas, qualitas, & situs.*

XXV. Quæritur quintò, *an in omni singultu causa ejus necessario hæreat in tunicis, vel fibris tunicarum ventriculi sit imbibita? Respondetur, rem ita se habere ut plurimùm: at non semper & necessariò. Exemplum nobis porrigit* Fernelius l. 6. παθολ. c. 3. *ubi refert, quendam tres continuos menses singultu vexatum nullis consuetis remediis antè potuisse expediri, quàm costæ extremum, quod tùm primùm deprehensum est contorqueri, altiùsq; in ventriculum, nullo sensu doloris, infigi, blandè & molliter erectum sit. Confestim enim singultum affligere desiisse: qui tamen repetierit, quoties costam denuò incurvescere contigisset. Subdit etiam, se dein in non paucis eandem singultus causam agnovisse. Nos quoq; comperimus quotidiè, quòd qui vel panem durum & siccum devorârunt, vel ventriculum nimia cibi copia onerârunt, singultire soleant: cùm tamen causa singultus aut non in ipso ventriculo, sed extra*

 illum

illum consistat: aut in ipso quidem hæreat, membranis ejus neutiquam impacta, verùm in illius duntaxat cavitate, aut orificio delitescat. Item, quando aura quædam maligna in febrrib. petechialibus & pestilentialibus in illud est effusa.

XXVI. Quæritur sextò, *quomodò singultus & ναυτία, nausea, inter se differant? Sciendum hîc, quòd nauseæ vocabulum accipiatur generaliter, & propriè ac specialiter. Generaliter sumptum significat cibi fastidium,* Eckel/ Mašleidigkeit/ Vnlust deß Magens. Aurelianus *horrorem ciborum vocat. Specialiter vsurpatum hujus est loci, estq; nil aliud, quàm inane vomendi desiderium, quo nihil ejicitur. Sæpè tamen sponte nulloq; conatu pellucida aqua ab ore profluit. Germani vitium istud* den Vnwillen deß Magens *appellitant: quod plerunq; vomitum præcedit. Differt autem à singultu* I. *quia in illa, non, vt in singultu, ventriculus dilatatur & constringitur.* II. *quia non sicut in singultu fit cum sonitu.* III. *quia materia ejus, non vt in singultu ventriculi substantiæ est impacta.*

XXVII. Quæritur septimò, *quando singultus, quando vomitus, quando nausea fiat?* Singultus *fit, cùm causa corpori ventriculi est inserta.* Vomitus, *quando soluta est, & in cavitate ventriculi hæret, si scil. ventriculus sat habeat virium, vt se contrahere versus orificium suum valeat, & quæ in fundo jacent, per superiora evacuare.* Nausea, *quando vel propter stomachi imbecillitatem, vel propter materiæ lentorem, crassitiem & contumaciam vomitio fieri nequit. Tunc manet quidem voluntas & conatus evomendi, sed planè irritus atq; inanis.*

XXVIII. Quæritur octavò, *an singultus rectè eructatio nominetur?* Galenus comm. 2. in l. 6. epid. §. 32. *scribit, singultum à nonnullis vocatum fuisse* ῥεῦξιν, *quæ aliàs dici solet* ἐρυγὴ, & ὀρευγμὸς, *eructatio. Addit autem, hanc vocem vsurpatam & descriptam esse variis modis.* A-

lios

Tios *enim flatulenti spiritus expulsiones, undecunq;, & utcunq; factas, eructationes nuncupâsse: secundum quorum sententiam tussis, sternutatio, crepitus ventris, spiritus difflationes per omne corpus, etiam singultum, eructationes nominari queunt.* Quosdam *omnem excretionem, non spiritus modò, sed etiam aliquorum humorum eructationem esse existimâsse: suamq; opinionem Poëte confirmâsse authoritate, qui etiam mari eructationem tribuebat.*

Sed Galenus *subjungit, hanc significationem vitiosam esse. Nam si quis vocabula raro & poëtico modo usurpata tanquam propria interpretari vellet, certè etiam omnia, quæ clarè & perspicuè dicta sunt, pervertere posset.*

XXIX. *Nos singultum nullo modo eructationem statuere possumus: quoniam eructatio propriè flatus est, & halitus à ventriculo ascendentis per os emissio. Nam quando halitus ad summitatem gulæ pervenerunt, tunc propter loci angustiam liberè exire nequeunt: sed condensantur, & conglobantur, ut vi quadam erumpant, suaq; eruptione & elisione, sive expressione sonum edant, nunc majorem, nunc minorem, pro ut copiosi, aut pauci, crassi aut tenues extiterint, & pro ut etiam majori, vel minori conatu fuerint extrusi. Quæ de singultu dici non possunt.*

XXX. *PARS AFFECTA in singultu est Ventriculus, ut notum omnibus. Ejus enim facultas expultrix solicitata est ad excretionem illius, quod infestat & molestat.* **Pars affecta.**

XXXI. *Sed secundum quam partem affectus sit, quæritur.* Galenus l. 5. de locis aff. c. 6. & comm. 6. aphor. 39. *docet, singultum esse proprium oris ventriculi affectum. At* l. 2. de sympt. caus. c. 6. *scribit, singultum totius ventriculi affectum esse. Vtrumq; defendi potest, si distinguatur.*

XXXII. *Distinguendum autem inter affectum ipsum, quem statuit* Galenus *non quidem convulsionem propriè di-*

etiam esse, attamen motum quendam convulsorium, comm. 4. in lib. de morb. acut. §. 69. & l. 3. de symptom. caus. c. 2. *& inter illius causam.*

XXXIII. *Causa consistere potest modò in orificio, modò in fundo, modò in orificio & in fundo simul. Ipsum verò symptoma, & motus ipse, qui in singultu accidit, toti ventriculo adscribendus videtur.*

XXXIV. *Etenim quando ventriculus à sua causa irritatur, tunc primùm se dilatat, mox collectis viribus se constringit & contrahit: hacq; corporis sui contractione nunc aliquid é tunicis exprimit, nunc etiam sine contractionis frustratur. Eademq; hîc est ratio, quæ est in aliarum partium excretione. Cerebrum enim stimulatum per sternutationem in sui contractione excutit ea, quæ sibi sunt contraria: pulmo & thorax contrahuntur in tussi: uterus in partu: vesica urinaria in mictione: intestina in dejectione fæcum: cor in palpitatione: ita ventriculus in singultu.*

XXXV. *Clarissimus* Mercurialis l. 3. prax. c. 4. aït, *causam quidem singultus posse esse aliquando in ipso ventriculo: aliquando in orificio ejus: sed motum istum convulsorium, h.e. singultum secundum suam naturam & essentiam consideratum tantùm orificio acceptum ferendum esse. Id enim, cùm sit exquisiti sensus, primum sentit, primumq; ad expulsionem rei noxiæ movetur.*

XXXVI. *Verùm, cùm ipsemet ibidem concedat, ventriculum in singultu se primùm dilatare, posteà constringere, & hac constrictione, sive contractione efficere, ut quod negotium sibi facessit, eliminetur, necesse est, ut etiam concedat, totum ventriculum excretionis causam esse.*

XXXVII. Dominus Platerus *persuasum habuit, singultum septo transverso esse adscribendum. Sed li-*

cet

ret septum istud ventriculo vicinum sit, & sæpè unà cum ventriculo moveatur, tamen non propterea singultus subjectum dici debet. Aliâs enim & vomitus foret receptaculum. Imò musculi quoque thoracici, venterque imus illius subjectum essent: quoniam hæ omnes partes in singultu, sicut & in tussi, & sternutamento moventur.

XXXVIII. *Ibi autem istud* ὑποδοχῆς *ponendum est, ubi primariò motus incipit, & ubi causa jacet, quæ ventriculum offendit. At & motus in ventriculo inchoat* πρώτως, *& causa in ventriculo sita est. Ideòque in ventriculo, non alibi, singultus subjectum statuendum.*

XXXIX. *Qui asserunt, singultum fieri in gula, à veritatis tramite aberrant. Gula namque, sive œsophagus, duas solummodò publicas exercet actiones, attractionem alimentorum per fibras rectas, quæ sunt internæ illius membranæ insertæ: & transmissionem eorum ad ventriculum per fibras transversas, quæ insitæ tunicæ ejus externæ, quæ carnosa est.*

XL. *At obiiciunt aliqui* Galeni *authoritatem. Is enim* l. 2. de caus. sympt. c. 6. *affirmat, singultum fieri in stomacho. Verùm per* στόμαχον, *non, ut* l. 6. us. part. c. 6. *gulam intelligit, sed ventriculum. Habet enim vox* στομάχου *apud Medicos quintuplicem significationem.* I. *sumitur pro gula, sive æsophago, qui à* Lactantio *fistula cibaria dicitur, quia per illum, tanquam per canalem, tubum, aut siphonem, esculenta & potulenta ad ventriculum deferuntur: teste* Galeno l. 13 meth. med. c. 17. II. καταχρηστικῶς, *quemadmodum* cap. 1. l. de cur. rat. per S. M. *monet, pro orificio ventriculi sinistro.* III. *pro Ventriculo, primæ concoctionis officina: quæ significatio crebrò admodùm apud* Dioscoridem *&* Plinium *occurrit: quando de medicamentis & alimentis stomachicis verba faciunt, & quædam eorum* εὐστόμαχα, *quædam* κακοστόμαχα *nominant; quorum illa ventriculum ju-*

 vant

vant & oblectant: hæc eidem nocent & ingrata sunt. Vocantur & εὐστόμαχοι & κακοστόμαχοι illi, quorum ventriculus benè, vel malè est dispositus. Estq; hæc tertia stomachi significatio etiam apud Poëtas usitata. Unde Horatius l. 2. serm. satyr. 2. *dicit, jejunum stomachum rarò vulgaria temnere: & paulò pòst, latrantem stomachum panem cum sale manducatum benè lenire.* IV. *in genere pro collo instar alicuius isthmi angusti cuivis cavitati præposito: authore* Galeno l. 4. de us. part. c. 1. *Hac ratione cervix uteri & vesicæ secundum* Galeni *mentem stomachus dici potest.* V. *adhùc generaliùs pro quovis cujusvis cavi corporis orificio. Quæ significatio apud* Hippocratem *passim* in libro de superfœtat. *extat, ubi orificium uteri citra additionem alicuius subjecti στόμαχον appellat: quod aliàs tamen, utpote* aphor. 46. 51. & 54. sect. 5. *& alibi τῶν ὑστερέων vocare consuevit.*

Differentiæ. XLI. *DIFFERENTIÆ singultus variæ sunt. Varius namq; est ratione causarum, quas mox enarrabimus. Est alius* vehemens, validus *atq;* intensus, *qui laboranti valdè molestus: alius* levior *ac* remissior, *qui illi tantùm negotii non facessit.* Durat *alius* diutiùs, breviùs *alius. Iste est* idiopatheticus, *in ventriculo natus, ob causam, quæ inibi collecta: ille* sympatheticus, *cuius causa aliunde ad ventriculum pervenit. Est deniq; alius* criticus, *qui κρίσιν per vomitum futuram portendit: alius* merè symptomaticus, *qui nihil boni præsagit: qualis est, qui in colica & iliaca passione, & in febribus, quas* Hippocrates l. de vict. rat. in morb. acut. πυρετοὺς λυγγώδεας *vocat, animadvertitur.* Galenus comm. 4. §. 69. *addit, fuisse febricitantes quosdam, qui in singultu rodentem & acerrimum vomuerint humorem, & ab hoc symptomate fuerint liberati. Verùm eiusc modi febrim nequaquam λυγγώδη, singultuosam appellari, sed eam solummodò singultuosæ febris nomine venire, in qua singultus longiùs perseverat: aut etiam per*

totum

totum morbi decursum unà cum febri exacerbatur. *Hasce febres singultuosas* Hippocrates ibidem *solvi asserit per sudores criticos, somnos æquales, & urinas, easq; tùm crassas, tùm etiam acres & mordaces: talibus quidem vel excretis, vel in abscessum firmatis.*

XLII. *Accedamus ad SINGVLTVS CAVSAS, quarum sunt plurimæ, externæ atq; internæ. Nos illas ex* Hippocratis *aphor. 39. sect. 6.* Galeni *comm. 6. aphor. 13. comm. 6. aphor. 39. lib. 8. de compos. med. κ. τόπ. c. 3. lib. 3. de medic. fac. parabil. c. 202. comm. 5. aphor. 1. l. 3. de loc. aff. c. 7. & comm. 1. in lib. 1. prorhet. §. 23.* Avicennæ *l. 3. can. fen. 13. tract. 5. c. 19.* Tralliani *l. 7. c. 13.* Oribasii *l. 4. de loc. aff. c. 83.* Pauli *l. 2. c. 57.* Aëtii *tetrab. 3. serm. 1. c. 5. hauriemus, primumq; locum externis, secundum internis tribuemus.* Causæ.

XLIII. *Censemus autem, utrasq; singultum excitare, vel gravando, vel premendo, vel vellicando, vel alterando; idq; aut manifesta, aut occulta qualitate.*

XLIV. *Inter externas causas recensetur primùm ciborum copia & multitudo. Hanc causam, ait* Galenus comm. 6. aphor. 13. *experimur in pueris, qui frequenter singultiunt, cùm pasti largiùs, quàm conveniat: aut poti uberiùs, quàm ventriculus tolerare queat.*

XLV. Deinde, *cibi corrupti, acres & mordaces, similiaq; pharmaca, quæ acredine sua ventriculum irritant, & ad expellendum provocant. Exemplum th. 21. piperis attulimus ex* Galeni comm. 6. aphor. 39. *Aliud habet idem* l. 8. de compos. med. κ. τόπ. c. 3. *de confectione illa aromatica, quæ diatrionpipereων nuncupatur. Multi, inquit, devorato eo singultiunt, quando vinum statim superbibunt: faseturq;, hoc sibi ipsi eandem ob causam accidisse. Idem scribit aliis evenisse* l. 3. de loc. aff. c. 7. *& iis præsertim, quorum os ventriculi erat facilis sensus.*

XLVI. Tertiò, *medicamenta vehementer purgantia;*

tia, quæ ὑπερκαθάρσεις excitant : quas quomodo inuehant, Galenus comm. 5. aphor. 4. laconicè explicat. Ait enim, talia cathartica inaniendo ſiccandoq́ σπασμὸν, convulſionem parere, quàm dicit peiorem eſſe illa, quæ fieri ſolet ob repletionem. Singultum autem convulſionem quandam ſtomachi ſecundum Hippocratem aphor. 39. ſect. 6. *eſſe.*

XLVII. *Sed rectiùs forſan cauſa hujus ſingultus partim ad ipſa purgantia, partim ad attractos ab iis humores refertur. Etenim pleraq́ valida cathartica ſunt acria & mordacia: ut Colocynthis, Scammonium, Elleborus albus, Euphorbium, Elaterium, ſuccus Iridis cæruleæ, Eſularum, Tithymalorum & Mezerei genera: hancq́ ob cauſam ventriculum vellicant. Humores verò allecti, bilioſi maximè, æruginoſi, porracei, atrabilarii, ſeroſiq́ & pituitoſi ſalſi, os ventriculi mordent, & mordendo ſingultũ cauſantur: ut colligitur ex* comm. 5. Galeni aphor. 1.

XLVIII. Quartò, *ea omnia, quæ ventriculum foris comprimunt: quod th. 25. exemplo coſtæ contortæ, & in ventriculum altiùs infixæ, declaravimus.*

XLIX. Quintò, *ea etiam, quæ ventriculum ſupra modum replent, ſive eſculenta ſint, ſive potulenta. Gravando enim ſingultire faciunt.*

L. Sextò, *quædam venenorum genera, quæ à proprietate quadam ſingultum cient: id quod* Nicander *de Rubetis, Vipera & & Echino tradit.*

LI. Septimò, Galenus *inter cauſas ſingultus externas reponit etiam* l. 3. de ſympt. cauſ. c. 2 & l. 8 de compoſ. med. κ. τόπ. c. 3. *ea, quæ ventriculum vel vehementer refrigerant, vel immodicè calefaciunt. Quas cauſas repetunt quoq́* Aëtius, Oribaſius, & Avicenna *locis th. 42. allegatis. Frigus forſan hoc facit, quia nervoſis partibus, qualis eſt ventriculus, adverſatur, illas vellicando; & quia conſtringit ac comprimit, vacuationem & difflationem*

excre-

excrementorum impediendo. Calor autem intensus id efficit, noxios humores alliciendo. Vtraq; igitur qualitas causa singultus est mediata ac remota.

LII. *Inter internas singultus causas recensentur* primùm *humores acres, mordaces, & salsi, qui th.* 47. *recensiti. Quò etiam humores maligni, & quasi venenati, nec non similes ichores referuntur.*

LIII. Secundò, *tetri halitus atq; vapores, qui aliunde veniunt, & ventriculum feriunt. Tales assurgere solent in peste, febrib. malignis, dysenteria, colica & iliaca passione &c.*

LIV. Tertiò, *vermes intestinorum, qui vel morsu, vel pravis halitibus ventriculo molesti sunt.*

LV. Quartò, *inflammatio hepatis. Quæ causa ab* Hippocrate aphor. 58. sect. 5. *ponitur. Vbi tamen* Galenus in comm. *monet, quòd singultus non semper inflammationi hepatis superveniat, neq; quomodolibet patienti: sed necesse sit, ut inflammatio sit maxima, pessima, & fervida. In hac enim bilis gignitur, & ad principium intestinorum confluit, indeq; ad ventriculum abit, ejusq; orificium mordicat, ac mordicando singultum infert. Subdit autem, quosdam arbitrari, magnitudinem inflammationis ventriculum premere, ac premendo & gravando illum ad hoc symptoma compellere.*

LVI. *Sequuntur SIGNA DIAGNOSTICA: quibus quidem ad dignoscendum singultum opus non est. Is enim & ab adstantibus auditur, & à laborantibus indicatur. Opus autem illis est ad dignoscendas causas, ut sciatur, num factus sit* ἰδιοπαθητικῶς, *an* συμπαθητικῶς. Signà Diagnostica.

LVII. *Ortus à ciborum copia & multitudine cognoscitur ex ægro, qui modum in comedendo excessit. Intelligitur quoq; ex tensione ventris, gravitate stomachi, nausea, ructu, crebra expuitione.*

LVIII. *Profectus à bile deprehenditur ex oris amarore, ardore & mordicatione stomachi, illisq; causis, quæ bilis proventum producere solent: cujus generis sunt cibaria calida, sicca, acria & mordacia: vina potentia & generosa, quæ ingurgitata: adhæc temperamentum cholericum, ætas juvenilis, æstatis fervor, hepatis caliditas. Cognoscitur quoq; ex siti, vomituq;, si adsit, bilioso.*

LIX. *Natus ex frigidis, crassis viscosisq; humoribus, qui tamen bilioso rarior, innotescit ex prægresso victu, cibi inappetentia, nausea, raritate potus, quoniam sitis non urget: juvamine à rebus calidis, noxa à frigidis.*

LX. *Genitus à rebus externis, quæ narratæ in causis, cibis, potibus, medicamentis, rebus calefacientibus & refrigerantibus, venenatis, &c. nobis palàm fit ab ægris & adstantibus.*

LXI. *Procreatus ab interno aliquo affectu, ut inflammatione alicujus visceris, febri maligna, dysenteria, diarrhœa, colica &c. ex propriis illius indiciis apparet.*

LXII. *Idiopatheticus singultus est continuus, adestq; humorum saburra, quæ ex ructu, vomitu, odore, & sapore cognoscitur. Sympatheticus autem judicatur, si continuus non sit. Illarum etiam partium affectus, à quib. causa promanat, suis ex signis elucent.*

Signa Prognostica.

LXIII. *PROGNOSTICA SIGNA de singultu apud* Hippocratem *extant plurima. Allegabimus paucula.*

LXIV. *Ab immodica purgatione, quam* ὑπερκάθαρσιν *Græci vocant, singultus,* κακὸν. Aphor. 4. sect. 5. *Ratio patet ex th.* 47.

LXV. *Singultus ab ileo, qui & Volvulus, &* χορδαψὸς, *& miserere mei vulgo nuncupatur, in quo alvi fæces per os ejiciuntur,* κακὸν: aphor. 10. sect. 7. *quoniam fæces ubi ad ventriculum usq; conscenderint, morsum ventriculo inferunt: unde singultus.*

LXVI. *Si senibus* ὑπερκαθαιρομένοις, *enormiter purgatis singultus accidat*, οὐκ ἀγαθὸν: aphor. 41. sect. 7. Galenus *addit* in comm. *singultū omnibus supra modum purgatis malum esse: senibus autem & singultum, & omnia mala pejora esse propter ætatis infirmitatem.*

LXVII. *A vomitu singultus, & oculorum rubor*, κακόν: aphor. 3. sect. 7. *Fit autem singultus à vomitu duabus de causis. I. quia materia, quæ evomitur, dùm transit per Ventriculi orificium, ipsum sua qualitate irritat, maximè si acris & mordax fuerit. II. quia materia radicitùs extirpata non est, sed reliquiæ ejus in ore ventriculi manserunt, ipsum vellicantes. Oculi autem rubent, post vomitum violentiorem, quoniam caput replet, & aliâs etiam oculis nocet.* Galenus in comment. *dicit ruborem oculorum signum esse inflammationis ventriculi, sed præcipuè cerebri.*

LXVIII. Ἀφωνίαι *cum singultu pessimæ*: Galen. *authore* comm. 1. in l. 1. prorhet. §. 23. *Quærit autem, quam vocalium instrumentorum læsionem singultus in* ἀφωνίᾳ *h. e. vocis privatione sit secutus? Et respondet, aut copiam humorum, quæ* ἀφωνίαν *peperit, in os ventriculi defluxisse: aut defluxionem esse acrem, vel frigidam.*

LXIX. *Singultus superveniens diarrhœæ malum signum est, inquit* Avicenna l. 3. fen. 16. tract. 1. cap. 2. *causamq; mox subjungit, quia siccitatis est nota.*

LXX. *Singultus à sanguinis vel venosi, vel arteriosi effluxu immodico, est lethalis:* Avicenna l. 4. can. fen. 4. tract. 2. cap. 16. *Ratio est, quoniam calor, sanguis, & spiritus, necessaria animæ organa, evacuantur,*

LXXI. *Superest CVRATIO: quæ in sanis, necessaria non est, quia sponte desinit. In ægris autem requiritur, quia interdum vehementer urget, diu durat, & vires prosternit.* Curatio.

LXXII. *Ante omnia autem habenda ratio est causæ. Hac enim dempta, symptoma istud evanescit. Quodsi tamen id magnoperè urgeat, ut ægrum ob vigilias, quas inducit, ob anorexiam & inediam, quam malè affectus ventriculus gignit, ob dolores & agitationem medii imiq; ventris, quæ in singultu solennis est, admodùm debilitet, æquum est, ut illi remediis ejusmodi obviam eatur, quæ ipsum sedent, manifesto, aut abdito modo.*

LXXIII. *Quia verò causa singultus varia est & multiplex, ideòq; varia etiam præsidia postulat, quod prisci solicitè inculcant: cumprimis autem vomitoria & dejectoria, quæ vicibus repetitis usurpanda.*

LXXIV. *Quodsi ergò singultus originem traxerit ab humoribus acrib. & erodentibus, tunc vel per vomitum, vel per alvum expurgaudi sunt. Per vomitum, si patiens facilè vomat. Per alvum catharticis lenioribus.*

LXXV. *Volumus autem etiam vomitoria blanda esse: qualia sunt sequentia.*

Aqua *Raphani, flor. Genistæ, Nucum viridium.*

Decoctum *sem. Atriplicis, Raphani, Anethi, Vrticæ, Genistæ.*

Hydromel, *Hidrelæum.*

Syrupus *acetos. simpl. Oxymel simpl. Oxymel scyllit.*

Oleum *Amygdal. dulc. Ol. Raphanin. Ol. Nucum, vel Lini, largiter potum.*

Pinguia *jura, & aqua tepida in bona quantitate assumpta. Vel per se sola, vel cum oleis, aquis, decoctis, syrupis jam expositis, vel etiam cum electuario diasari* Fernelii *hausta.*

Conferunt quoque *ad vomendum Gilla* Theophrasti, *& vitriolum alb. vomitivum* Crollii.

LXXVI. *Mitiora purgantia sunt Syrupi de Rhabarb. de Cichor. cum Rhabarbar. Rosar. & violar. solut. simpl.*

ſimpl. de Manna, Diaperſicorum: qui propinantur cum decoct. commun. lenit. decoct. cordiali & pectorali, decoct. Senæ, vel Andernaci. *Adduntur el. diacathol. el. lenitiv. diacaſſia cum Manna. In frequenti uſu quoq; ſunt ſacculi, qui infunduntur in vino, & continent tum ingredientia alia, tum etiam purgantia ſimplicia, utpote Rhabarbarum, Agaricum, folia & folliculos Senæ, cum ſuis corrigentibus, Cinnamomo, Spica Indica, Zinzibere, Sale gemmæ, Caryophyllis, ſem. Aniſi & Fœniculi.*

LXXVII. *Acredinem & mordacitatem humorum compeſcunt, atq; infringunt,* Aquæ *Endiviæ, Cichorii, Acetoſæ, Acetoſellæ, Violarum, Fragorum, Lactucæ, Portulacæ, Nymphææ, Seri lactis Caprini.*

Syrupi *Acetoſæ, Acetoſellæ, Violar. Fragorum, Cichorii, Portulacæ, Papaveris alb. Glycyrrhizæ, Iuiubarum, Althææ, Nymphææ, Papaverinus ſimplex.*

Julepus *Roſarum & Violarum.*

Emulſiones *ex Amygdal. dulc. ſem. 4. frig. major. & minor. ſem. Papaver. albi.*

Conſervæ *Violar. Acetoſ. Acetoſell. Borragin. Bugloſſæ Nymphææ.*

Lactuca *Hiſpan. condita. Rad. Cichorii condit.*

Ptiſana *ex Hordeo, Paſſulis Corinth. Violis, Prunis dulcibus, & Glycyrrhiza parata.*

His adjungi debent contemperantia alimenta ex brodiis carnium & gallinarum, pulticulis ex Amygdalis, Amylo, Hordeo, Pomis dulcibus, Paſſulis Corinth. Prunis dulcib. &c. confecta.

LXXVIII. *Si ſingultus ſit profectus à frigidis, craſſis, lentis & glutinoſis humoribus, incidendi, attenuandi, abſtergendi & evacuandi ſunt. Incidunt autem attenuant atq; abſtergunt ex ſimplicibus* Radices *Apii, Fœniculi, Aſparagi, Petroſelini, Ruſci, Ononidis, Helenii.*

 Herbæ

Herbæ *Calaminth. Hyssopi, Pulegii, Betonicæ, Marrubii alb. Veronicæ, Cardui bened. Rosmarini.*

Semina *Anisi, Fœniculi, Carui, Cymini.*

Ex officinalibus & arte paratis habentur.

Aquæ *Petrosel. Fœnic. Anisi, Apii, Cnonidis, Hyssopi, Calaminth. Anethi, Veronicæ, Betonicæ, Card. benedicti. &c.*

Syrupi *de Hyssopo, de Calamintha, de Betonica, de Veronica, de Card. benedicto, è duab. & quinq; radicibus, Oxymel simpl. Oxymel compos. Oxymel scyllit. &c.*

LXXIX. *Si ocasionem singultui præbuerunt vapores, halitus, sive flatus, carminantibus & calorificis discutiendi & dissipandi sunt; quæ sunt* —— —— ——

Spiritus *Anisi, Fœniculi, baccarum Iuniperi, cum aquis, aut brodiis permisti.*

Tragemata *ex specieb. dianisi, aromat. caryophyllati, diagalangæ, diacinnamomi, diacalaminthæ, diazinziberis &c.*

Condita, *ut Zinzib. chinæum & Indic. conditum, Nux mosch. condita.*

Tabulæ *post pastum, tab. Anisi & Fœniculi.*

Syrupus *de Cinnamomo, syr. de vino Cretico.*

Theriaca *Androm. Mithridatium.*

Vinum *Hippocraticum & Malvaticum cum buccella panis tosti assumptum.*

Foris fomenta humida, *vel sicca admovenda sunt ex Absinth. Mentha crispa, Rosmarino, Puleg. Calamintha, Salvia, Origano, Hyssopo, Calamo aromatico, Galanga, Baccis Lauri & Iuniperi.*

LXXX. *Si malignitas fuerit observata, alexipharmacis & cordialibus agendum medicaminibus. Prostant autem in officinis Theriaca, Mithridat. Antidotus* Matthioli, *Diascordium* Fracastorii, *Lapis Bezoar. Or. tabul. Bezoarticæ,*

ticæ: quæ dari possunt cum Aq. Angelic. Petasit. Imperator. Card. benedict. Scorzoner. Scordii, Vincetoxic. Scabios. &c.

Sunt in iisdem etiam aquæ compositæ, *ut aq. thericalis cum vino, & cum aceto, aq pestilentialis bezoartica.*

Sunt insuper Syrupi *Cardui benedicti, Scabiosæ, Corticum citri, flor. Auranciorum &c.*

Sunt Conservæ *Card. bened. Scabiosæ, Melissæ, flor. Citri.*

Est deniq; Pulv. *rub. Pannonicus.*

LXXXI. *Affectus aliarum partium, unde vitium emanavit, peculiarem curam exigunt: ut sunt febres singultuosæ, inflammationes viscerum, febres malignæ, dysenteriæ, alii.*

LXXXII. *Vermes necandi sunt: enecti expellendi.*

Necantur amaris, acidis, salsis, acribus remediis.

LXXXIII. *Necantur* Aquis stillatitiis *Lilior. convallium, Portulacæ, Nucum immaturarum, Scordii, Rutæ, Centaur. minoris, Tanaceti, Card. benedicti, Raphani marini, Absinthii, Gentianæ &c.*

Syrupis *de Portulaca, Card. bened. Scordio, Absinthio, Nicotiana, Hyperico, Limonum, Berberum.*

Conservis *Centaur. min. Card. benedict. Scordii, Absinthii.*

Theriaca *Mithridat. Diascordio.*

Confect semin. *Santonic. Coriandr. præparati.*

Pulverib. *& confectionib. contra vermes in dispensatoriis Augustanor. & aliorum descriptis.*

Pulvis Corallinæ

Condimento *ex Raphani marini rasura, cum æqualibus portionibus vini & aceti permista. Hoc enim valdè efficax est.*

LXXXIV. *Enecti expelluntur medicamentis cathar-*

ticis:

ticis: utpote syrup. *flor. Persicor. de Rhabarbaro, de Cichor. cum Rhabarb. de Agar. Diasereωs Andernaci.*

Tabulis *Diaturb. cum Rhabarbaro.*

Extracto *Rhabarbari simpl. & composit.*

Extract. *Aloës, Tabellar. Diacitr. solut.*

Pilulis *de hiera cum Agar. de Aloe lota. Alsajereth, de Rhabarb. sine quib. Aggregativis, multis aliis.*

Sacculis *in vino infusis, quib. inclusa Absinth. Card. bened. flor. Persicor. & Centaur. min. sem. Nasturt. Coriandr. præpar. Citri, Rhabarb. Sena, Agaric. &c.*

LXXXV. *Traduntur ab antiquis & neotericis scriptoribus, & præcipuè ab* Avicenna, Paulo, Aëtio *&* Oribasio, *locis th. 42. indigitatis experimenta quædam ad singultum sedandum comparata, quæ mantissæ loco subjicere placet.*

LXXXVI. *Vsurpantur autem diversimodè. Nam vel masticantur, vel comeduntur, vel bibuntur, vel naribus applicantur, vel os iis colluitur, vel gargarismi in modum adhibentur, vel certis quibusdam partibus alligantur, vel ventriculo imponuntur, aut inunguntur, vel in faciem inspergantur.*

LXXXVII. Masticantur *Anethum, Anisum, Cinnamomum, Caryophylli, Zedoaria.*

Comeditur *idem Anethum, & extract. Menthæ.*

Bibitur *Anethi pulvis cum aqua propria. Celebratur etiam syrupus de Mentha.*

Potui datur Ruta cum vino, aut cuminum, aut Zinziber, similiter & Castoreum.

Item & Elixir proprietatis, Aqua Cinnamomi. Offeratur manè tribus horis ante cibum radix Zinziberis viridis, & superbibatur vinum malvaticum. Iteretur aliquoties.

Hùc pertinent & aq. stillatitia Linguæ Cervinæ, sive Phyllitidis. *Theriaca*

Theriaca sumpta cum decocto Salviæ minoris.

Aqua vitæ cum pauco Cinnamomo.

In causa calida ad humorum acrimoniam mitigandam, & illorum fervorem contemperandum bibitur etiam aqua frigida.

Naribus admoventur *Castoreum, Ruta, Anethum & pulvis seminum sacculo inclusus.*

Os colluitur *aqua frigida in causa calida.*

Ex eadem etiam fiunt gargarismata.

Carpo *manus sinistræ alligatur Cuminum linteolo involutum. Alligatur & Castoreum.*

In manibus *gestantur Alyssum, Mentha, Anethum, Cyminum sylvestre.*

Ventriculo imponuntur *in causa calida spongiæ aceto rosarum imbutæ.*

Eidem inunguntur *oleum Mastichinum, Absinthii, Anethinum, Castorei, Menthæ.*

Quidam etiam illi cucurbitulas *affigunt, ad avertendam causam imbibitam.*

In faciem *ægri subitò & ex improviso inspergitur aqua frigida, ut laborans terreatur, & exinde spiritus unà cum calore pellantur ad interiora, causaque mali discutiatur, dissipetur, & consumatur.*

LXXXVIII. Erysimachus *Medicus, ut apud* Platonem in Convivio *legitur, tria remedia* Aristophani *singultienti consulebat*: 1. sternutamentum *ex* aphor. 13. sect. 6. *Sed* Gal. *scribit in Comm. oportere, ut singultus ortus sit à plenitudine, non ab inanitione, quem sternutatio minimè tollit. Hunc autem posteriorem singultum longè rariorem esse dicit eo, quem plenitudo & repletio introduxit. Rationem verò, cur sternutatio singultum compescat, hanc adfert, quia violento opus sit motu, ut humores singultum efficientes velut*

vecte quodam concussi difflentur & evacuentur : id quod sternutatio facit. Sternutando enim, & cerebrum, & ventriculus, ob nervos ad illum derivatos vehementer concutiuntur, ac quassantur, & sic etiam humores, singultus causæ, eliminantur. Quod ipsum etiam comm. 5. aphor. 35. nec non l. 2. de symptom. caus. c. 6. docet. Vehementiore enim concussu excutit sternutatio ea, quæ partibus firmiter sunt infixa.

II. Spiritus cohibitionem in causa frigida : quoniam illius retentio calefacit non solùm partes respirationi destinatas, sed etiam naturalibus dicatas actionibus. Hisce autem calefactis, flatus dissipantur, & humores à calore absorbentur.

III. Aquæ tepidæ potum, nimirùm eo in singultu, qui ab acrimonia humorum excitatus est. Hos enim sua tepiditate & humiditate mitiores temperatioresq; reddit. Galenus aquam tepidam magna in quantitate propinat, ut vomitum moveat, & acres mordacesq; humores evacuentur.

LXXXIX. Hisce præsidiis adjunguntur quoq; τὰ ναρκωτικὰ, ut ventriculi sensus obtundatur, minùsq; causam λυγμοποιητικὴν sentiat.

XC. Suadent insuper allegati artis Dictatores, & præ cæteris Avicenna, ut singultientes ad subitaneum terrorem, timorem, consternationem, iram & gaudium commoveantur, eum in finem, ut calor & spiritus vel intrò pellantur, vel in omne corpus diffundantur in causa flatulenta, aut humida, quo illa discutiatur, hæc verò consumatur.

Forsan etiam propterea, ut ventricluus causæ stimulum non ita sentiat, vi sensifica ob spiritus animalis repercussionem aliorsum conversa.

XCI. Deniq; præcipiunt, ut, siquidem æger tantum

tum virium habeat, validè moveatur, vociferando, currendo, equitando, aut gravia onera gestando. Hisce enim motibus fit, ut calor explicetur, & materia loco suo moveatur.

COROLLARIA.

I.

VTrum singultus motus sit compositus, partim naturalis, partim animalis? Gordonius *in Medicinæ lilio part. 5. c. 7. ajentem tuetur. Quid nobis videatur, edisseremus, si priùs exposuerimus, quid motus animalis, quid naturalis in Medicorum Scholis significet. Est autem* animalis motus *is, qui dicitur* προαιρετικὸς, *situs scil. in nostra voluntate & arbitrio, ut, quemadmodum* Galenus *lib. 2. de motu muscular. c. 5. docet, illum excitare possimus, cùm volumus, & intermittere, quando libuerit. Facere item illum celeriorem, aut tardiorem, crebriorem, aut rariorem. Talis motus est capitis, oculorum, labiorum, linguæ, maxillæ inferioris, colli, thoracis, artuum superiorum & inferiorum: quoniam musculis, qui voluntarii motus instrumenta sunt, peragitur,* Naturalis *autem â nostra voluntate minimè dependet; qualis est cordis, cerebri, & arteriarum. Hunc enim neq; cohibere, neq; excitare, neq; crebriorem, neq; rariorem, neq; velociorem, neq; tardiorem pro libitu nostro efficere possumus. Hoc dogmate præmisso, respondemus, singultum motum animalem ac voluntarium non esse, quia pro arbitrio*

 no-

nostro neq; institui, neq; sedari, neq; accelerari, neque tardari, neq; frequentior, neq; rarior fieri potest. Ratio est, quoniam, per musculos minimè peragitur, sed à facultate ventriculi expultrice proficiscitur, quæ profligare id annititur, quod ventriculum vel gravat, vel premit, vel qualitate abdita, aut manifesta ad excretionem stimulat atq; irritat. Est igitur motus merè naturalis.

Verùm quæri posset, *cur ergo* Galenus *dixerit, singultum motum esse similem tussi, lib. 2. de symptom. caus. c. 1. cùm tussis motus sit animalis, eò quòd per musculos thoracem contrahentes excitetur? Respondemus, similitudinem singultus cum tussi non consistere in forma motus, quasi singultus, perinde ut tussis, per musculos fieret, hocq; nomine animalis & voluntarius esset motus, sed quòd ab eodem principio efficiente, ipsa nimirùm facultate expultrice proveniat. Nam quemadmodum tussis oritur, quando facultas ista ad excernendum lacessitur, & thoracis partes rem lacessentem sentiunt, sic etiam singultus nascitur, cùm ventriculus ab objecto sibi molesto infestatur, idq; sentit. Tunc enim adversus illud insurgit, & vel per vomitum, vel per singultum se exonerare contendit. In utroq; igitur motu hæc tria concurrunt. I. res aliena, quæ est molesta. II. sensus partis, cui illa inhæret. III. facultas expultrix, quæ eam exturbat.*

II.

An singultus fieri possit, si cibus siccus, durus, crassus, & mole major, quàm ut commodè, & facilè ad ventriculum abire queat, in œsophago hæreat?

Rasis *testatur, se observâsse, quòd hoc in quodam evenerit. Arbitramur, fieri quidem istud posse, sed ventriculo compatiente. Nam cùm œsophagi pars infima cum ventriculi orificio sit continua, ideò distento pressoq; œsophago in*

go in consensum rapitur orificium. Considerandæ igitur œsophagi partes videntur tres: summa, media, & ima. Summa subjacet laryngi asperæ arteriæ, per quam inspiramus & expiramus. Media deorsum fertur, vertebris colli, thoracis, viciniśq; partibus connexa. Ima orificio ventriculi inseritur. Summa in faucibus cibum excipit. Media deducit. Ima in ventriculum deponit. Quodsi summa, quæ laryngi substrata, à crassiore grandioreque cibi bolo distendatur, & laryngem comprimat, suffocatio sequitur. Si in ima hoc eveniat, singultus excitatur. Si in media, neutrum contingit: quoniam ab utraque parte, larynge & ventriculo, longiùs abest.

III.

An ventriculus in singultu rectè contrahi dicatur, cùm contractio sit musculorum actio, ventriculus autem in eorum albo neutiquam contineatur? *Respondetur, non omnem contractionem per musculos fieri: aliâs cor contrahi non posset, cùm musculus propriè non sit, tametsi ab authore libelli de corde* καταχρηστικῶς *musculus nominetur. Neque contrahere se posset cerebrum in sternutatione, & convulsionibus epilepticorum: neque intestina in dejectione fæcum alvi: neque vesica in redditione urinæ: neque uterus in emissione fœtus: quia partes istæ musculis carent. Sed contractiones etiã peragi possunt, vel per partium fibras: vel per virtutem facultatis expultricis, iis in partibus, quæ fibris sunt destitutæ, in quarum numero cerebrum est.*

IV.

Vtrum singultus fiat, cùm inspiramus, an cùm expiramus? *Posterius placet: quia in singultu sonus qui-*

dam auditur. At is in contractione & expiratione sentitur. Potest autem oriri ab aëre, vel ab halitu, à pulmonibus, aut ventriculo emisso. A pulmonibus in contractione thoracis, & consequenter in expiratione: in qua etiam vox à nobis editur. Emittitur autem aër per rimulam laryngis, quæ nec prorsùs tunc temporis, cùm vox editur, clausa est, ut esse solet in spiritus cohibitione: nec planè aperta, ut in nobis tacentibus, aut liberè spirantibus, aut in ἐκφυσήσει, *exufflatione: sed medio modo se habet: aliquo scil. modo clausa, aliquo aperta, quo aër eò elevatus quasi conglobatus & condensatus per angustiam illam cum quodam conatu exire cogatur. Quod dùm fit, sonum efficit inarticulatum quidem, sed qui posteà in ore ejusque particulis articulatur. A ventriculo verò, halitu ab ejus cavitate, cùm se contrahit ventriculus, sursum impulso, & vi quadam per angustam portam, quæ in summitate est æsophagi, expresso.*

V.

Quamobrem capite vehementer percusso, & cerebro, aut meningibus duntaxat illius sauciatis, aliquando singultus excitetur? *Causa est mirabilis cerebri cum ventriculi orificio consensus: & quidem per nervos illos stomachicos insignes & multos, quos sexta nervorum conjugatio cerebri illi suppeditavit. Nam & vomitus quandoq; biliosus vulneribus cerebri supervenire solet, authore* Hippocrate *aphor. 50. sect. 6, idq; propter eandem causam: quoniam bilis humor est tenuis, & ob id facilè mobilis: orificium verò ventriculi exquisitè & accuratè sentit, adeò ut irritatum vomitio promptè sequatur.*

VI.

Num singultus etiam πάθος sit pulmonum, cùm videa-

videamus, in ſingultientibus thoracem & pulmones unà cum ventriculo moveri & contrahi? *Moventur quidem unà, ſed ventriculus per ſe & primariò, thorax autem & pulmones ſolùm per conſenſum, & ſecundariò: ſicut eadem partes etiam in ſternutatione, tuſſi, & vomitu moveri ſolent.*

VII.

Cur ambulatio ſuper pavimento frigido pedibus denudatis, aut natatio in aqua frigida ſingultum quandoque pariat? *Cauſa videtur duplex dari poſſe. I. quoniam ventriculus facilè compatitur, præſertim pedibus refrigeratis. Nam ob membranoſam & nervoſam ſubſtantiam ventriculus, qui & ipſe tali ſubſtantia præditus eſt, rapitur in conſenſum. Et non ventriculus ſolùm, ſed & cauda illius, h. e. inteſtina. Vnde & natantes in aqua frigida, & nudis pedibus in locis nivoſis ambulantes, aut ſuper lapidibus frigidis incedentes, in alvi profluvium cadere comperimus. II. quia frigida, ſicuti omnibus partibus frigidis, ut* Hippocrates *loquitur aphor. 18. & 22. ſect. 5. ſunt inimica, ita & ventriculo. Faciunt ergò, ut ventriculus ea averſetur: malè concoquat, & ejusmodi generet materiam, quæ tùm incommoda alia, tùm ſingultum quoque accerſat.*

FINIS.

Præstantißimo

Et doctißimo Domino Respondenti salut. pl.

Est dictum *Senecæ*, quòd quæ sunt commoda, quæque
Optatam possunt ferre salutis opem,
Sint nobis agitanda diu, versandaq; sæpè,
Nota ut sint penitùs, sintq; parata simul.
Ergò morborum quia contemplatio crebra
In se permultum commoditatis habet,
Scilicet ut *citò*, *jucundè*, *tutòq;* mederi
Ægrotis liceat, ceu Medicina monet.
Idcircò benè, *Mappe*, facis, suavissime Amice,
Et rectè studiis consulis ipse tuis.
Morborum species quòd ad unguem nôsse labores,
Seu nox atra adsit, lucida sive dies.
Atque hoc *Singultu* studeas ostendere cunctis,
De quo publicitùs disseruisse cupis.
Pergè bonis avibus, nec non felicibus ausis
Currere in hoc stadio: namque perampla tibi
Gloria nascetur, toto quam pectore ab illo
Opto tibi, solus qui dare cuncta potest.

MELCHIOR SEBIZIUS D.